

Ad superbiam quidem et nimium tumorem animi eius referens hoc dixit; ἰδίωσ tamen notare voluit insulsitatem cervicum eius: inmodicum fuisse corpulentas traditur.

Habeat hoc praemii tua indignitas; adulescen- § 11.
5 tiae turpitudine obscuritate et sordibus obtegatur.

Haec ... oratorie perstringere maluit quam copiose iisdem detexendis inmorari, sive quod nimis lacinosum videbatur, sive quod probare non poterat. Asperius tamen in tacito reliquit quam si copiosius exaggerasset, ut videantur haec
10 omnia dedecora et crimina in personae humilitate latuisse.

In eo magistratu cum tibi aquaria provincia § 12.
sorte obtigisset.

*Quaestore ... *lege Titia provinciam tacitam et quie-*
tam. Hic igitur Vatinius aquariam sortitus erat, id est,
15 ut aquae curam sustineret. Insimulat eum sordide et rapaciter Puteolis esse versatum, cum sibi officium ab ipso Tullio consule inpositum magis ad fructum avaritiae quam ad fidei et industriae laudem converteret.

Ego te quaecumque rogabo, de te ipso rogabo § 13.
20 neque te ex amplissimi viri dignitate, sed ex tuis tenebris extraham.

Consultissime facit locuturus de tribunatu eius, in quo omnia pro C. Caesaris potentatu Vatinium gessisse manifestum est. Hac ... temperat acerbitatem insectationis,